

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimo-tertio mensis Martii, Anno Domini M. DCC. LXIV.

M. JOANNE-JACOBO BELLETESTE,

Doctore Medico & Saluberrimæ Facultatis Decano, Præside.

An in plerisque casibus, Suturæ cruentæ sint inutiles & noxiæ?

I.



VARIAS inter ærumnas quibus obsidentur miseri mortales, nulla frequentior vulnere. Vulnus est solutio continui recens à quâcumque causâ externâ in partibus mollibus. Duplex constitui potest vulnerum species, ut potè quorum alia per instrumenta acuta, aut secantia, alia per contundentia. Differunt ratione loci; possunt etenim diversis infligi corporis partibus; ratione partis affectæ: pejora quæ visceribus præstantissimi momenti; ratione symptomatum: sunt enim boni vel mali ominis symptomata aut accidentia; boni, si nec venæ, nec arteriæ, nec nervi, nec tendines grandiores lædantur; mali, si è contrà nempè adsint maxima contusio, hæmorrhagia, dolor, & convulsio. Contusione, humores in textû cellulari stagnant: vasa aut elasticitate necessariâ defraudantur, aut disrupta & confracta partium vicinarum tabem, gangrænam, sphacelumque accersunt. Hæmorrhagiâ, uberiori proventu ex vasis præcisis cùm profluat sanguis, cor

ſtimulo ſuo orbatum ſolita munia exequi non valet; hinc torpent ſpiritus animales, elanguet functionum vitalium ordo, oriturque funeſtiſſima ſyncopes. Dolore, fluida in furorem aguntur inſanum, talique citatiori motu, ita diſtenduntur fibræ nervoſæ, omnium ſenſationum organa, ut cruciatus acutiſſimos, vixque tolerabiles procreent, præſertim ſi in quibuſdam tantùm nervi fibrillis extet læſio: quidquid enim in nervo integrum remanet, magis ac magis diſtrahitur, undè ſpaſmi, convulſiones, deliria, quibus tota corruit animalis œconomia. Tam verò ſævum malorum agmen provida & auxiliatrix parens natura compeſcere nititur. Inflammationem, febrem molitur, cujus ope ad ſuppurationem tendunt ora vulneris, & tam admirabili beneficio explicantur fibræ anteà divaricatæ, oſtia vaſorum occluſa & feriantia gluten regenerans fundunt, optataque producitur cicatrix. Tali inceſſu evidenter patet in curatione vulnerum, hoc tantùm efficere poſſe Chirurgiam à quibuſdam thraſonico prorſùs modo, & ad nauſeam uſque decantatam, ut remotis obicibus quibus præpeditur unio labiorum vulneris, illa unio, omni ope atque operâ promoveatur.

I I.

MEDIA quibus ad approximanda vulneris ora uti ſolent Chirurgi, ſunt ſitus partis læſæ, deligationes & ſuturæ. Sutura eſt operatio illa quâ in contactum immediatum vulneris ora adducuntur. Plurimæ (*a*) apud veteres celebrabantur ſuturæ quæ in deſuetudinem abiêre. Apud nos ex uſu ſunt *Sutura Sicca* in faciei plagis, *Intorta* in ore leporino, *Pellionis* in inteſtinorum vulneribus, *Clavata*, ſeu *Pinnata* in profundis & tranſverſis muſculorum plagis, & *Reſtrinctiva* ut liquidum in ſuo contineatur canali. At in genere duæ conſtituuntur ſuturarum ſpecies, nempè ſutura cruenta ſeu vera, & ſutura ſicca ſeu notha; hæc autem impropriè dicta, cum nulla ſit abſque cruoris effuſione ſutura verè dicta. Acuum & filorum ope perficitur prior, emplaſtrorum agglutinantium, poſterior. Porrò totam adimplent in pleriſque caſibus curationem agglutinantia emplaſtra, ita ut apud omnes ſuperioris ſubſellii medicos ſit compertum, ſuturas cruentas ſeu veras in pleriſque caſibus eſſe rejiciendas, ut potè inutiles & noxias.

I I I.

INUTILES ſuturæ cruentæ plerumque, ſi ſolius ſitûs convenientis & deligationis ope, ſat ad ſe invicem vulneris ora adducantur ut cicatricem induere valeant. Atqui res ita ſe habet; in pleriſque enim caſibus ita contineri poteſt pars vulnerata ut minimè dimoveatur. Ut exemplis noſtra ſuffulciatur poſitio, ſecundùm longitudinem membri ſupponamus vulnus inflictum; etiam ſi profundum, faſciæ unientis auxilio ſanari poteſt. Faciei plagis, uniens faſcia in uſum cùm mitti nequeat, duo agglutinantia utrique vulneris lateri imponuntur emplaſtra, in profundioribus plagis longiora, in levioribus breviora. In margine utriuſque emplaſtri adſunt funiculi pro diversâ vulneris longitudine, & emplaſtra hæc paulò calefacta utrinque labiis plagæ ad ferè digiti tranſverſi diſtantiam apprimè glutinantur: poſt hæc vulneris curatè junguntur ora, cæteraque pro vulneris indicatione perficiuntur. Si profundiſſima & tranſverſa tùm in extremitatibus ſuperioribus cùm in inferioribus ſit plaga, qui apprimè anatomiam callueriт, ità muſculos diſponet; ut quantùm fieri poterit, laxati, in contactum abeant immediatum: moleſta quidem emergit ex eodem ſitu diſplicentia: non diffiteor, ſed in hoc totus curationis cardo vertitur: aliundè eadem in ſuturis cautio obſervanda venit: ſunt ergò non ſolùm inutiles, ſed etiam noxiæ ſuturæ, cùm dolores irrequietos pariant. Idem ſit de tendinum ſuturis (*b*) judicium. Apage ergò Volſellas, ſutu-

(*a*) Lege prælectiones Chirurgicas, M. BERNARDI-NICOLAÏ BERTRAND, in hiſce Scholis traditas anno 1761.

(*b*) Lege Theſim propugnatam in hiſce Scholis M. LE CHAT DE LA SOURDIERE, Baccalaureo, M. ACHILLE-FRANCISCO FONTAINE, Præſide, anno 1742, cujus poſitio, *An ſuendi tendines?* Concluſio, *Non ergò ſuendi tendines.*

ras, Tenacula. Hæc sunt penè dicam carnificum, non verò naturæ ministrorum: ex iis enim adaugetur inflammatio, nimiùm tumenr vulnerum labia, retardatur suppuratio, sinè quâ produci nequit optima cicatrix : prætereà fila sæpè sæpiùs rumpuntur, dilacerantur vulneris ora, & quot puncta suturæ, rot vulnera vulneri adduntur : deinceps periculum est ne partes nerveæ, tendineæ, vasa in celebrandis suturis lædantur, ex quâ læsione exurgunt horrendi immanesque cruciatus. Deindè vulnera contusa suturas respuunt, eò quòd detritæ commolitæque partis fibræ trajectionem filorum sustinere nequeanr.

I V.

CHIRURGIÆ armamentario suturas penitùs exulare nec mens, nec animus : contrà abusum, non verò contrà medium curarionis animadversio nostra. Casus quosdam oculis subjiciemus in quibus suturarum necessitas apparet, ut v. g. in labio leporino, in transversis musculorum abdominalium vulneribus, in læsione intestini prolapsi. Labrum superius ità fissum à naturâ sæpè est atque curtatum ut labri leporini formam referat, undè sortitur nomen; in eodem labro duplex aliquando existit fissura. Hoc vitium naturale, aut adventitium, recens aut vetus, simplex aut complicatum; simplex, cùm adest sola solutio continui in labro; complicatum, cùm palatum simul vel ex parte vel in totum ad nares & uvulam est fissum; tunc ponè hiatum non existit dens incisivus : si vitium istud adventitium, sæpiùs nulla adest complicatio, nisi aliquando ossium palati fissura. Quandò illud incommodùm est naturale ur & adventitium, aut est vetus, & cicatricata sunt solutionis ora; aur recens & complicatum, tunc nulla fieri potest deglutitio quin ingestorum maxima pars per nares rejiciatur. Morbus ille suturam cruentam requirit : absque enim acuum auxilio labia vulneris propter varios oris motus distracta non coalescerent. Vulnera ampla abdomen transversim penetrantia experunr *Gastroraphiam* quæ est sutura ad uniendas infimi ventris plagas idonea. Sunt duplicis speciei vulnera, aut penetrant abdominis cavum, aut non. Penetrantia dicuntur, quandò Peritonæùm fuit cæsum sicut & tegumentà & musculi; non penetrantia, cùm solùm cutis & musculi secta fuère : in illo casu requiritur Gastroraphia, eò quòd partes in abdominis cavo contentæ facilè è suâ sede dimoveantur, hernias procreenr, nullâque aliâ ratione intùs contineri possint, propter continuum vehementioremque septi transversi motum. Hâccè arte perficitur Gastroraphia : duas acus valdè acutas incurvatas, utroque latere secantes, duplicatum filum ceratum trahentes, præ manibus tener Chirurgus : unam ex acubus circiter ad digiti transversi à superiori plagæ commissurâ distantiam vulneris oræ immittit : celebrato ad dextrum vulneris latus suturæ puncto ad oppositum vergit, punctumque aliud eodem instituit modo. Si magnum vulnus inflictum fuerit, requiruntur quatuor suturarum puncta, quæ ut peragantur quatuor acus postulant. Transmissa fila, nodo priùs, suppositis clavis sericeis, constringuntur. Sicque adhærentia firmiter labia vulneris approximata, variis in motibus v. g. per tusses, sternutationem nisusque inspiratorios diduci nequeunt. Hocce artificio vulneris oræ ad se invicem adductæ efformant tumorem quemdam, quo mediante intestinorum lapsus præpeditur. Læsio continui in intestino prolapso suturam requirir, ne fiat ulla effusio in abdominis cavum. Si vulnus leviusculum, solâ diætâ curari potest : si amplum, pellionis sutura peragenda est, quæ sic absolvitur. Filum planum subtile, ceratum planæ rectæ acui inseritur; Chirurgi minister hinc indè, manu priùs calefactâ, continet sauciatum intestinum, & Chirurgus circà vulneris oras ab uno ejus extremo ad aliud acum cum filo deducit in gyrum, exin utriusque fili extrema ope duorum cylindrorum versùs infimi ventris plagam graviter retinentur, ità ut intestini plaga arctissimè tegumentorum vulneri adhæreat : tali artificio intestini prolapsi læsio in vulnere tegumentorum erit com-

prehensa, eademque cicatrix saucium intestinum vulneratis musculis alligabit (*a*).

V

URGENT suturarum defensores; non ita tutò continentur vulneris ora : ô præjudicatis obcæcati opinionibus homines! qui non vident, hanc quam promovere satagunt unionem, suturis plerumque magis impediri, sæpiùsque impossibilem evadere. Res enim fit sine incommodo, & multo tutiùs, si in situ idoneo membrum firmiter contineatur. Pergunt ex auctoritate Auctorum desumpta : sed non juramus serviliter in verba Auctorum : rationi & experientiæ, non auctoritatibus patrocinamur. Sed difficiliùs fit cicatrix & per longius temporis intervallum : hoc etiam si verum, at tamen non admittendæ suturæ, quandoquidem plùs incommodi & periculi afferunt quàm brevitatis in curatione secum important. Aliundè falsa objectio : breviùs fit cicatrix propter rationes in tertio Corollario allegatas. Ut coronidem operi imponamus, notare expedit, in illis etiam casibus in quibus suturarum necessitas Herculeis ferè argumentis demonstratur, ut in labio leporino, in transversis musculorum abdominalium vulneribus, in læsione intestini prolapsi, suturas aliquando fuisse neglectas, naturamque nullo artis adminiculo partium unionem feliciter promovisse. Varia exempla memorat PIBRAC, Chirurgus Parisiensis (*b*) quibus constat labium leporinum, rejecto suturæ apparatu faustè citrà ullam difformitatis notam sanatum fuisse. Insigne extat (*c*) exemplum vulneris transversim musculis rectis abdominalibus inflicti quod ope sitûs convenientis, curvatâ scilicet dorsi spinâ, reflexisque versùs pectus beneficio pulvinarium femoribus, nullo suturæ puncto abhibito, in contactum abiit. [*Clarissimus (d)* VANSWIETEN *refert homini globo plumbeo majori vulnus inflictum fuisse in cavum abdominis penetrans, cum insigni læsione intestini Coli sic ut per bimestre spatium excrementa per vulneris hiatum exirent, tandem tamen sinè ullo artis adjumento vulnus consolidatum fuisse, hominemque sanatum fuisse.*] Tot observatis, tot rationum momentis contrà suturarum abusum in medium adductis in pronum concludere est.

Ergò in plerisque casibus, Suturæ cruentæ sunt inutiles & noxiæ.

(*a*) Hanc agendi normam primus excogitavit, communicavit & demonstravit in suo amphiteatro, suis Auditoribus M. ANT. PETIT, hujusce Ordinis Doctor; cui si quid recti novive in hâcce Thesi, omninò tribuendum.

(*b*) In Actis Chirurgicis, *pag.* 417, *Tom. III.*

(*c*) In iisdem Actis Chirurgicis, *pag.* 414.

(*d*) *VANSWIETEN*, de Vulneribus abdominis, *pag.* 479. Edit. Paris. *Tom. I.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes - Baptista BASSEVILLE.

M. Edmundus-Thomas MOREAU.

M. Ludovicus - Claudius BOURDELIN, *Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Berolinensis Socius, in Horto Regio Chymiæ Professor & Galliarum Principum Medicus Primarius.*

M. Simon - Antonius BRINGAUD.

M. Joannes-Baptista THURANT.

M. Michaël - Ludovicus VERNAGE, *Eques & Regius Censor.*

M. Claudius - Josephus GENTIL, *Militarium Nosocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.*

M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus LE THIEULLIER, *Regis Consiliarius & in Majori Consilio, nec non in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.*

M. Claudius-Antonius RENARD.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-ALEXANDER MAIGRET, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1764. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facult. Medic. Typographi, 1764.